

tantum adsint, quae in usus sacros necessaria, sed etiam, quantum fieri potest, mundissima sint.

Et jure merito contra eos invehitur, qui domos bene ornatas et cultas habent, ecclesias vero in squallore et sordibus relinquunt. *Sunt etiam, qui domos habent instructissimas et ornatisimas; in eorum templis ac sacellis squallent omnia; arae a frontalibus nudae vix laceris et sordidis pannis insternuntur; in caeteris omnibus confusio et squallor.* S. Hieronymus in ep. ad Demetriadem parum se curare haud obscure indicavit: pauperesne an divites sint Ecclesiae? *Alii aedificent ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant earumque deaurent capita, pretiosum ornamentum non sentientia; ebore argentoque valvas et gemmis aurata distinguant altaria; non reprehendo, non abnuo; unusquisque in suo sensu abundet; meliusque est hoc facere quam repositis opibus incubare.*

At vero Ecclesiarum munditiam maximi facere aperte declaravit, cum Nepotianum summis laudibus extulit, quia diligens ac sollicitus fuit in nitore et munditia ecclesiarum atque altarium curanda. *Erat ergo, ait, sollicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, vela semper in hostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta et in omnes caeremonias pia sollicitudo deposita; non minus non majus negligebat officium.*

Profecto sedulo ac diligenter cavendum est, ne illud non sine maxima ecclesiastici Ordinis infamia contingat, quod sibi evenisse narrat laudatus Card. Bellarminus: *Ego, ait, cum aliquando ex itinere apud Episcopum nobilem et praedivitem hospitarer, vidi aulam vasis argenteis splendidam et mensam omni genere praestantium ciborum refertam; mappas quoque et reliqua om-*

nia nitide et odorem suavem spirantia. Sed cum die sequente summo mane ad Ecclesiam Palatio contiguam descendissem, ut Sacris operarer, inveni omnia contraria, id est vilia et sordida, ut vix auderem in tali loco et cum tali apparatu divina mysteria celebrare. *Encyclica Bened. XIV. ad Episcopos. ditionis eccles. Die 19. Febr. 1749 (Bull. r. t. XVIII. p. 9.).*

Erit autem valde opportunum, ubi fieri possit, praesertim in ecclesiis majoribus et opulentioribus, si constituatur minister aliquis, cui curae sit, ut Ecclesia continuo in anni ejus parte munda sit et expedita, tam in pavimento quam in parietibus, columnis, fornicibus et laquearibus, nec per eam discurrere permittat mendicos, canes aut alia animalia divina Officia perturbantia.

Caer. Ep. l. II. c. XII. n. 25. Cf.: Sacrista.

MUSICA.

1) Alteratio, Harmonia et Textus.

Vd.: *Psallendi modus* (decr. Bened. XIV. de die 19. Febr. 1749); *Organum.*

Ad relationem, quod in multis Ecclesiis ad inserviendum lepori Musices alteratur notabiliter textus s. Scripturae mutilando, ante et postponendo et alterando verba et sensum illarum et aptando eas modulationi, ita ut non musica s. Scripturae, sed haec illi inservire videatur, S. C. resp.: Indigere reformatione et quousque ratio congrua ineatur, injungendum Emo Vicario ut praedicta prohibeat, prout magis expedire cognoverit. n. 1432 ad 1 die 21. Febr. 1643.

Alexander PP. VII.

Piae sollicitudinis studio ducimur, ut Ecclesiarum divinis laudibus et orationi destinatarum ac Oratoriorum Urbis, ex qua in omnes Orbis partes

bonorum operum exempla promanant, decori et reverentiae consulere satagentes, quaecumque vana et praesertim musicos concentus et symphonias, quibus quid indecorum sive a ritu ecclesiastico alienum, non sine divinae Majestatis offensa et Christifidelium scandalo, ac devotionis et cordium ad superna elevationis impedimento admiscetur, ab illis procul arceamus.

Itaque omnibus et singulis archipresbyteris eorumque Vicariis, ac Capitulis et Canonicis choroque praefectis quarumvis ecclesiarum et Basilicarum etiam Patriarchal, nec non Praelatis, Superioribus, Rectoribus, Administratoribus, Custodibus, Quardianis aliisque Officialibus, quocumque nomine nuncupentur, quorumvis monasteriorum utriusque sexus, Domorum, Conventuum et Collegiorum tam saecularum quam regular. ac Congreg., Confratern., Hospitalium . . . tenore praesentium sub poena excommunicationis latae sententiae nec non privationis fructuum unius mensis ac suspensionis ab officio resp. prohibemus, ne in eorum ecclesiis et Oratoriis quidquam cantari permittant praeter ea verba, quae *Breviario vel Missali rom. in officii de proprio vel de communi pro currenti cujusque diei festo vel Sancti solemnitate praescribuntur, vel quae saltem a s. scriptura aut ss. Patribus desumpta sint, quae tamen prius a S. R. C. specialiter approbentur, exclusis modulibus iis, qui choreas et profanam potius quam eccles. melodiam imitantur.*

Romae apud s. Mariam Major. die 23. Apr. 1657.

Innocentius PP. XII.

La Santità di Nostro Signore havendo inteso, che nelle Chiese in occasione di Musiche si era di nuova posto in abuso l'ordine pubblicato già dalla san.

mem. di Alesandro VII. con sua Bolla in data delli 13. Aprile 1657 e rinnovato poscia dalla san. mem. d'Innocenzo XI. di 3. Settembre 1678 ha comandato à Monsignor, Vicegerente, che havuti à se tutti li Maestri di Capella ingiungesse loro, come hà fatto, la puntuale osservanza de sopradetti ordini; Ma perche alcuni interpretano diversamente li medesimi circa le Compositioni da contrarsi nelle Messe, e Vesperi, per toglierli ogni pretesto di scusa, con la presente si dichiara, che Sua Santità non vuole assolutamente che in veruna Chiesa, ò Basilica, etiamdio delle Patriarchali, di Collegiate, Parochiali, ò in altra di qualsivoglia Collegio, Convento, ò Congregatione tanto di Secolari, come de' Regolari, Confraternità, anche Nationali, Hospedali, Archihospedali, e Luoghi Pii, etiam di Laici di quest' Alma Città, si canti Motteto, à Compositione alcuna, ma solamente nelle Messe l'Introito, Graduale, ò Offertorio corrente, e ne' Vesperi l'Antifone, che occorrono avanti, e doppo il Salmo, che si cantu, senza una minima alteratione in modo, che li Musici si uniformino totalmente al Choro, poiche si come in questo non è permesso di aggiungere cos' alcuna all' Officio, e Messa, cosi parimente sia interdetto, e proibito alli Musici; Permetti bensì la Santità Sua, che nell' elevatione nella S. Messa, e nell' esposizione del Venerabile si possa, per eccitare la devotione de' fedeli, cantare qualche Mottetto cavato dagl' Inni di S. Tommaso, ò Antifone registrate nel Breviario, e Messale Romano per l'Officio, e Messa, che si celebra nella Solennità del Sanctis. Sacramento, senza però che si mutino le parole. Avvertendo, che doppo questa dichiarazione contro li Maestri de Capella, che comporranno, e Musici, che cantaranno si procederà irremissibilmente alle pene

approbatus fuisse. Hanc Constit. approbavit Innoc. XI. die 3. Decb. 1678. Dubio exorto in intelligendis Constitutionibus et interpretandis Alexdi. VII. et Innoc. XI. Innocentius XII. die 20. Aug. 1692 promulgavit decretum, quo generalim quarumcunque cantilenarum seu motetorum cantum prohibuit; in sacrarum autem Missarum Solemnibus solummodo permisit ultra cantum „Gloriae et Symboli“, ut cani possit Introitus, Graduale et Offertorium; in Vesperis vero, nulla mutatione etiam minima facta, Antiphonae, quae initio cujusque psalmi vel in ejus fine dicuntur. Insuper voluit et jussit, ut Cantores musici omnino legem chori sequerentur et cum eo prorsus convenirent, et quemadmodum in choro fas non est aliquid addere Officio vel Missae, ita etiam musicis noluit id licere, et illud duntaxat concessit, ut ex Officio et Missa, quae in Solemnitate SSmi Corp. Chr. celebrari solet, nimirum ex hymnis s. Thomae vel ex Antiphonis aliisque relatis in Breviario ex missali rom. carmen aliquod seu motetum nulla verborum varietate desumi et decantari posset ad fidel. devotionem excitandam, dum S. Hostia elevatur vel publice veneranda exhibetur.

Lege autem Ecclesiasticis cantuiculis seu modulatis carminibus aut motetis posita negari nequit, non parum momenti ad removendos ab Ecclesiis theatrales cantus allatum esse, sed necesse est fateri, ad finem propositum assequendum id non sufficere. Fieri enim potest et nimis etiam non sine nostro dolore fit, ut cantus Gloriae, Symboli, Introitus, Gradualis, Offertorii et caeterorum omnium, quae rite ac de more in Missis et Vesperis, ut supra dictum est, cantari solent, theatriali more et scenico strepitu peragatur. Magnus Episcopus Gulielmus Lindanus in sua *Panoplia Evan-*

gelica lib. 4. cap. 78. cantui musico in Ecclesiis non adversatur, sed frequentes repetitiones et vocum confusiones improbat proponitque, ut in Ecclesiis ea musica adhibeatur, quae consentanea sit rebus, quae canuntur. *Quamquam non me fugiat, quibusdam musicam cum organis et musicis rectius videri retinendum, quibus equidem perlibenter assentiar, si unà pro isto musices genere, quod nunc passim Ecclesias occupat, aliud introducatur, et gravius et rebus ipsis convenientius, et si non, ut oportet, pronuntiationi quàm cantui vicinius, saltem rebus, quae canuntur, aptius atque accommodatius.* Drexellius in suo opere *Rhetoricae coelestis lib. 1. cap. 5.* opportunè ad rem nostram ita exclamat: *Hic pace vestra dixerim, o musici, nunc Templis cantandi genus dominatur novum sed exorbitans, concisum, saltatorium et parùm profectò religiosum, theatro aut chorus convenientius quam Templo. Artificium quaerimus, et perdimus priscum precandi ac cantandi studium. Curiositati consulimus, sed revera negligimus pietatem. Quid enim novitia haec et tripudians cantandi ratio, nisi comoedia est, in qua cantores velut actores sunt, quorum modò unus prodit, modò duo, modò simul prodeunt omnes et modulatis vocibus colloquuntur, mox iterum unus triumphat solus caeteris brevi secuturis.* Recens scriptor Benedictus Hieronymus Feijoo Magister Generalis Ordinis S. Benedicti in Hispaniis in suo *Theatro critico universalì serm. 14.* peritiã et scientiã notarum musicarum innixus rationem indicat, qua redigi possent musicae Ecclesiarum ad eum modum et rationem, quae in omnibus penitus esset Theatrorum musicis concentibus dissimilis. At verò Nobis satis erit prae oculis habitis Sacrorum Conciliorum regulis et probatorum Scriptorum

sententiis illud admonere, quod si musicus theatrorum cantus ita instituitur, ut, quemadmodum Nobis relatum est, populus spectator et auditor harmonicis quidem cantorum modulationibus oblectetur, artificio musicae artis gaudeat numerisque musicis delectetur, melodia et suavitate vocum fruatur, verba autem plerumque non rectè percipiat. Diversum utique et contrarium omnino in Ecclesiastico cantu servari debet, in quo illud in primis curandum est, ut verba perfectè planèque intelligentur. Nam cum in Ecclesiis concentus musicus receptus sit ad erigendas hominum mentes in Deum, ut docet S. Isidorus *lib. 1. de Eccl. off. c. 5.* Psalterium idcirco cum melodia cantilenarum suavius ab Ecclesia frequentatur, quò facilius animi ad compunctionem flectantur. Id certè obtineri difficile potest, si verba non audiantur. In Concilio Cameracensi anno 1565 tit. 6. cap. 4. tom. 10. collect. Hard. pag. 582 ita constituitur: *Caeterum, quae in Choro cani debent ad instructionem, ea canantur voce, ut intelligentur mente.* Et in Concilio Coloniensi anno 1536 cap. 12. tit. de off. priv. talia leguntur: *Jam et illud non rectè fit in quibusdam Ecclesiis, ut ob cantorum et organorum concentum omittantur aut decurrantur ea, quae sunt praecipua. Cujus generis sunt recitatio verborum Prophetiarum aut Apostolicorum, quam Epistolam vocamus, Symbolum Fidei, Praefatio, quae et gratiarum actio, atque precatio Dominica. Quamobrem haec tota distinctissimè ac intelligibiliter uti caetera omnia decantentur.* In Concilio autem Mediolanen. primo habito anno 1565 pars 2. num. 51. in praedicta *Harduini collectione* pag. 687 talia leguntur: *In Divinis Officiis aut omnino in Ecclesiis nec profana cantica sonive nec in sacris canticis molles flexiones, voces magis gutture op-*

pressae quàm ore expressae, aut denique lasciva ulla canendi ratio adhibeatur. Cantus et soni graves sint, pii et distincti ac domui Dei ac Divinis laudibus accommodati, ut simul et verba intelligentur et ad pietatem auditores excitentur. In hac re, de qua agitur, gravis est sermo Patrum, qui in Concilio Toletano convenerunt anno 1566 *act. 3. cap. 2.* in laudata *Collectione* pag. 1164: *Cum ea, ajunt, quae in Ecclesiis cantantur ad Dei laudem celebrandam, eo debent cantari modo, quo populi intelligentia, quantum fieri potest, erudiri valeat et religioſa pietatis ac devotionis moderatione, piorum auditorum mentes ad Divinae Majestatis cultum et coelestia desideria excitari queant; caveant Episcopi, ne dum in chorum musicorum modulos vocum omnis generis discrimine confusos admittunt, psalmorum et aliorum, quae cantari solent, verba obscurantur ac simul strepitu incondito sensus sepeliatur. Sic denique musicam, quae organica dicitur, retineant, ut eorum, quae cantantur, verba et intelligi possint et potius pronuntiatione quàm curiosis modulis audientium animi Divinis laudibus afficiantur.* Ex his autem apertè comperitur, quàm meritò his verbis questus sit Episcopus Lindanus loco citato: *Non enim nunc suo cantu musici auditorum animos tam ad pietatis cultum coelestiaque excitant desideria, quàm avocant, avertunt, alienant. Scio enim aliquando Divinis interfuisse laudibus, cum vel attentissimus auscultarem, ecquid forte psalleretur, ne unum quidem potuisse intelligere verbum: ita erant omnia syllabarum repetitionibus commixta, vocibus confusa, clamoribus potius horridulis et incondito boatu quàm cantu obscurata: Tum etiam quam pium fuerit desiderium et quàm prudens sit exhortatio, qua musicos ad*

contenute ne' sopradetti Ordini, li quali s'intendino in vigore di questa dichiarazione rinovati et ad altre ancora corporali ad arbitrio della Santità Sua et Nostro.

Datum Romae hac die 20. Augusti 1692.

(Bull. r. t. VII. p. 286.)

De Statutis Congreg. Musicorum sub invocatione s. Caeciliae in Urbe institutae vd.: Constitutio Clem. XI. 9. Sept. 1716 (Bull. r. t. VIII. p. 169.).

Benedictus PP. XIV.

Ad Episcopos Ditionis Ecclesiasticae.

Nos Te, V. Fr., admonemus, ut, musicus cantus, qui nunc in Ecclesiis usu receptus est et qui Organi aliorumque instrumentorum harmoniae conjungi solet. ita instituat, ut nihil profanum, nihil mundanum aut theatrale resonet. Universus quidem orbis christ. organi aliorumque musicorum instrumentorum usum adhuc non recepit, praeter enim Ruthenos ritus graeci, qui in suis ecclesiis neque organum neque alia musicae instrumenta habent. Nostra Pontificalis Capella, ut omnibus notum est, cantum musicum, sed gravem, decorum piisque admittit, nunquam autem organum recepit, quod etiam notatur a Patre Mabillone*). Refert Grancolas**) etiamnum in Galliis aliquas insignes ecclesias reperiri, quae organum cantumque musicum seu harmonicum in s. functionibus non adhibent. Illust. Ecclesia Lugdunensis, quae quidem novitatibus semper adversata est, usque ad hunc diem exemplum Pontificiae Capellae secuta organo uti noluit***).

Reperiuntur, qui cantum harmonicum cum musicis instrumentis in Ec-

*) Mus. Ital. t. I. 47.

**) Comment. hist. de Brev. rom. c. 17.

***) Card. Bona in tract. de div. plalm. c. 16. §. 2. n. 5.

clesiis adhiberi minime probant. Abbas Aelredus coevus et discipulus s. Bernardi, lib. 2 ejus Operis, quod inscribitur „Speculum charitatis“ cap. 23 t. 23 Biblioth. Patrum p. 118 ita scribit: *Unde cessantibus jam typis et figuris, unde in ecclesia tot organa, tot cymbala? Ad quid, rogo, terribilis ille folium status, tonitruum potius fragorem quam vocis exprimens suavitate? Ad quid illa vocis contractio et infractio? Hic succinit, ille descinit, alter supercinit, alter medias quasdam notas dividit et incidit.*

Asserere quidem non audemus, aetate s. Thomae Aquinatis nullis in ecclesiis usum musici cantus cum musicis instrumentis fuisse; illud utique affirmare licet, in Ecclesiis minime fuisse, quae s. Doctori notae et cognitae erant, ideoque hujusmodi cantui ipse nequaquam favisse videtur. Tractat enim 2. 2. quaest. 91 art. 2 quaestionem illam: utrum in divinis laudibus sint cantus assumendi: Resp.: assumendos esse; sed cum sibi quarto loco opponat: *Instrumenta musica, sicut cytharas et psalteria non assumere ecclesiam in divinas laudes, ne videatur judaizare, cum in psal. 32.: Confitemini Dom. in cythara, in psalterio decem chordarum psallite illi.* Resp.: *Hujusmodi musica instrumenta magis movere ad delectationem quam interius disponere ad pietatem; in veteri autem testamento ideo adhibita fuisse, quia populus erat magis durus et carnalis, unde erat per hujusmodi instrumenta provocandus sicut et per promissiones terrenas.* Addit insuper, instrumenta in veteri testamento typos seu figuras aliquarum rerum fuisse: *Tum etiam, ait, quia hujusmodi instrumenta corporalia aliquid figurabant.*

De SS. Pont. Marcello II. traditum est, secum deliberasse, musicam in ecclesiis abolere cantumque eccles. ad cantum planum redigere. Aetate nostra

vidimus Cardinalem Thomasi in ecclesia sua Titulari s. Martini ad Montes in die festo ejusd. Sancti in missa et vespertinis officiis concentus musicos habere noluisse, sed ut a viris religiosiis in sacris peragendis cantus planus adhiberetur praecepisse.

Reperiuntur qui usum musici cantus cum Instrumentis in divinis Officiis approbant. Eodem saeculo, quo praedictus Abb. Aelredus, floruit etiam Joannes Sariberiensis Episcopus Carnotensis, qui lib. I. Policratici c. 6 musicam organicam seu concentum vocum et instrumentorum laudat. *Ad mores itaque instruendos et animos exultatione virtutis trajiciendos in cultum Domini non modo concentum hominum sed et instrumentorum modos censuerunt S. Patres Domino applicandos, cum templi reverentiam dilatarent.* S. Antoninus*) non rejicit cantum harmonicum in divinis Officiis: *Cantus quidem firmus in divinis officiis a S. Doctoribus institutus est, ut Gregorio M., Ambrosio et aliis. Biscantus autem in officiis eccles. quis adinvenerit ignoro: pruritu aurium videtur magis deservire quam devotioni, quamvis pia mens etiam in his fructum referat audiendo.* Et paulo post admittit in divinis Officiis non solum organum sed etiam alia instrumenta musica: *Sed et pulsatio organorum vel aliorum instrumentorum ad divinam laudem initium virtutis habuisse a propheta David.* Constituerat quidem Marcellus II. ab ecclesiis cantus musicos et musica instrumenta remove, sed Joann. Petrus Aloys. Praenestinus Magister capellae Basilicae Vaticanae musicos cantus in s. Missarum Solemnibus persolvendis composuit tam excellenti arte, ut ad pietatem animos et devotionem mo-

verent. Itaque illis auditis a SS. Pontifice a proposito recessit.

In Conc. Trid. actum est de eliminanda musica ab Ecclesiis, sed cum ab Imp. Ferdinando per suos Legatos expositum fuisset, cantum musicum seu figuratum fidelium animis incitamento ad devotionem et pietatem esse, decretum moderari placuit, uti leg. in sess. 22 in decr. de observ. et evit. in celebr. Missae. In eo autem ab ecclesiis solum rejectae fuerunt musicae illae, ubi sive organo sive cantu lascivum aut impurum aliquod miscetur*). Profecto eccl. scriptores magni nominis libenti animo eandem sententiam sequuntur. Bellarminus**) docet: *retinendum esse in ecclesiis usum organorum, sed alia instrumenta musica non facile admittenda: Ex quibus illud efficitur, ut organa propter infirmos in ecclesia retinenda sunt, ita non facile alia instrumenta esse introducenda.* Eadem semita insistit Card. Cajetanus in sua Summa ad verbum „Organum“: *Organorum usus in ecclesia licet sit unus, in cujus signum ecclesia Rom. adhuc non utitur eis coram Pontifice, licitus tamen est pro carnalibus adhuc fidelibus imperfectis.* Card. Baronius ad ann. Chr. LX scribit: *Verum, quod post multa saecula usu receptum sit, ut in ecclesia adhiberentur organica instrumenta disparibus canis simul junctis confecta, haud jure quis poterit improbare.* Card. Bona de divina psalmodia c. 17 agens dicit: *Non tamen damnari debet moderatus organorum usus etc.; laetificat organorum concentus tristes mentes et supernae civitatis insinuat jucunditatem, sollicitat pigros, recreat diligentes, provocat justos ad amorem, peccatores ad compunctionem.*

*) Pallav. histor. Conc. Trid. l. 22. c. 5. n. 14.

**) Tom. 4. contrav. lib. 1. de bonis oper. in partic. cap. 17.

*) Summa part. 3. tit. 8. c. 4. §. 12.

Suarez *) animadvertit, organi nomine comprehendi non solum illud instrumentum musicum, quod hodie vulgo organum vocari solet, sed alia etiam instrumenta harmonica (quod jam antea notatum fuit a S. Isidoro lib. 2. orig. c. 20: *Organum vocabulum est generale vasorum omnium musicorum*); ideoque concludit, recepto in ecclesiis organo, etiam alia instrumenta musica admittenda esse. Sylvius **) cantum harmonicum non repellit: *Ideoque, ait, magna cura habenda est cantus eccles., tum ejus, qui planus seu Gregorianus dicitur, qui proprie est ecclesiasticus, tum ejus, qui postea in ecclesiam est introductus et vocatur figuratus et sive harmonicus.* Et paulo post: *Nihilominus, quod post multa saecula usu receptum sit, ut in eccles. officiis instrumenta musica adhiberentur, nullo modo est improbandum.*

Bellote ***) dicit: *Proinde nequaquam instrumentorum musicorum vitio vertendum est, quod posterioribus tantum saeculis usa sit Ecclesia musicis cantoribus et musicalibus instrumentis; sed quod a Gentilibus ejusmodi instrumenta musica in turpibus ac sordidus usibus, nimirum in theatris, conviviiis ac sacrificiis consueverint adhiberi.* Persicus in suo Tractatu de divino et eccles. officio dub. 5. n. 7. ita loquitur de cantu figurato: *Dico secundo, quamvis in cantu organico seu figurato multi possint abusus obrepere, sicut in omnibus aliis eccles. caeremoniis accidit, ipsum tamen per se, si debite, religiose et decenti moderatione fiat, licitum esse*

*) Tom. 2. de Relig. lib. 4. de hor. can. c. 8. n. 5.

**) Tom. 3. suorum operum super 2. S. Thomae quaest. 91. art. 2.

***) Lib. de ritibus Eccles. Laudunens. p. 209. n. 8.

nec ullo jure prohibitum. Et ad dub. 6. n. 3. tenet, quod *organorum et aliorum instrumentorum universalis usus in divinis officiis secundum se laudabilis est, et ad imperfectorum animos ad Dei contemplationem elevandos valde utilis.*

Et quidem usus cantus harmonici seu figurati et musicorum instrumentorum in missis, vesperis aliisque eccles. functionibus adeo longè processit, ut ad Paraguajam usque regionem pervenerit.

Denique diximus neminem esse, qui theatrales cantus in ecclesiis non detestetur et qui diversitatem aliquam non requireret inter sacros Ecclesiae et profanos scaenarum concentus. Celebris est locus s. Hieronymi relatus in *Can. Cantantes dist. 92. Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. Audiant haec adolescentuli; audiant ii, quibus psallendi in Ecclesiis officium est. Deo non voce sed corde cantandum, nec in tragoedorum morem guttur et fauces dulci medicamine liniendae sunt, ut in ecclesia theatrales moduli audiantur et cantica.* S. Nicetius *) cantum in ecclesiis adhibendum describit: *Sanus etiam vel melodia consentiens s. religioni psallatur; non quae tragicas difficultates exclamet sed quae in vobis veram christianitatem demonstret, non quae aliquid theatrale redoleat, sed compunctionem peccatorum faciat.* Patres in Conc. Toletano 1566 dicunt **): *Sed et illud maxime cavendum erit, ne ipsius musicae sonus quid theatrale aut impudicos amorem bellorumque classicos modulos referens in Dei laudibus decantandis imitetur.* Plures

*) Lib. de psalmodiae bono c. 3. t. 1. Spicilegii.

**) Act. 3. c. 11. t. 10. Collect. Concil. Harduin.

eruditi Scriptores *) acriter reprehendunt scaenicos sonos et cantus precanturque ut hujusmodi abusus ab ecclesiis allegentur.

Tandem ut sermonem de hac re absolvamus, nempe de abusu theatrium concentuum in ecclesiis, qui adeo per se manifestus est, ut nullis indigeat verbis et probationibus; satis erit indicare, omnes eos, qui superius a Nobis citati fuerunt, tamquam qui usui cantus figurati seu harmonici et musicorum instrumentorum in ecclesiis faverent, palam profiteri ac testari se, quaecumque scripserunt, ea mente et concilio fecisse, ut nequaquam intelligenda sint de cantu et sono scaenarum ac theatrorum proprio, quem ipsi aequae ac illi reprobant, sed de cantu et sono, qui ecclesias decet et qui populos ad devotionem excitat, quod ex illorum lectione quisque cognoscere poterit.

Exinde sequitur, ut diligenter inquirendum sit, quinam sit usus rectus ac probus, quinam vero abusus. Ut autem ordine procedamus, primum verba faciemus de iis, quae in ecclesiis canenda sunt; deinde de modo ac ratione, qua cantus institui debet; denique de Instrumentis musicis ecclesiarum propriis, quibus in s. templis cani debet.

Durandus tempore Nicolai III. usum cantilenarum vulgo *motetorum*, qui ejus aetate vigeat, aperte improbat in tract. de modo gener. Conc. celebrandi c. 19: *Videtur valde honestum esse, quod cantus indevoti et inordinati motetorum et similibus non fierent in Ecclesiis.* Postea Joannes XXII. in decretali: *Docta Sanctorum motetorum cantum lingua vulgari se abomi-*

nari ostendit: Motetis vulgaribus nunquam inculcant. Favisse videtur motetis Suarez *), etiamsi scripta fuerint lingua vulgari, dummodo gravia sint ac devota. Ad suadendum autem id, quod affirmat, offert morem ac usum nonnullarum Ecclesiarum, quae licet a sapientibus Praelatis regantur, in eis tamen cantilenae seu modulata carmina non improbantur. Addit insuper, quoniam primis Ecclesiae temporibus quisque fidelium in Ecclesia pios ac devotos hymnos, quos composuerat, cantabat, ex veteri hac consuetudine usum motetorum quodammodo approbari. Antevertens autem id, quod ei objici posset, hujusmodi modulatis carminibus, quae moteta vocant, eccles. psalmodiam interrumpi, ita resp.: *Nec interruptio illa vel mora, quae tunc fit inter partes alicujus horae, reprehensibilis est, quia moraliter veluti continuatur in devotione, quae per cantum illum excitari intenditur, et ita cantus ille potest censeri veluti dispositio ad sequentia et solemnitas ac congrua terminatio praecedentium et ornatus totius horae.*

Vertente anno 1657 Alexander VII. in Const.: *Piae sollicitudinis praecepit, ut per id tempus, quo divina persolvuntur Officia et quo publica fidelium adorationi SSimum expos. est, nulla alia carmina seu verba cantentur, nisi desumpta ex Breviario vel Missali rom., quae in officiis de proprio vel de communi, pro currenti cujusque diei festo vel Sancti solemnitate praescribuntur, vel ex Scriptura aut SS. PP. operibus, ita tamen ut antea a S. R. C. approbata sint.* Porro ex hujusmodi Constit. videtur cantus motetorum, quae servata ratione ab eodem Alexd. VII. praescripta, composita et a S. R. C. probata sunt, procul dubio

*) Casalius de veteribus s. christian. ritibus c. 34; Abb. Ludov. Ant. Muratori t. 1. antiquae rom. Liturgiae in dissert. de rebus liturg. c. 22 in fine.

*) Tom. 2. de Relig. lib. 4. de horis can. c. 13. n. 16.